Typis G. F. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1731.

DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ Februarii M. DCC. XXXI.

M. GERMANO PREAUX, PROFESSORE REGIO, Doctore Medico, Præside. autore.

An omnes Animi Passiones, exceptâ moderatâ Lætitiâ, Sanitati noceant?

I.

BONORUM corporis omnium longè præstantissimum Sanitas, divitiis, dignitatibus, honoribus, aliisque fortunæ bonis nonmodo præponendum, sed etiam doctrinæ prudentiæque, si Philosophis pluribus fides habeatur. O ter igitur quaterque beatum hominem! qui nascendo corpus benè constitutum nactus, hujus & animæ functionibus cunctis perbellè fungitur; doloris, languoris, imbecillitatis expers, ad studia est alacer, ad negotia promptus, ad exercitationes expeditus & omnium dulcedinum vitæ capax. Hujus & valetudinarii hominis quanta differentia! Hic Animo & Corpore pariter infirmus, studiis, exercitationibus, negotiisque est inhabilis; omne jocorum & delectamentorum fastidit genus. Nulla tam hilaris scena, nulla facœtia tam mimica quæ possit frontem ejus exporrigere. Simphoniæ suaviores ipsum contristabunt; fidium ac tibiarum macerabit jucunditas. Stet in conviviis ubi Lautitiarum apparatus sit splendidissimè expositus, exquisitissimos cibos dente fastidioso tanget. Nec putes à fortunæ bonis infirmam ejus valetudinem posse compensari; Sit enim domibus, fundis, auri, argentique acervis potens, sit omnium qui vivunt hominum honoratissimus inter tot opima miseram sortem deplorabit. Adeo ut *melior sit pauper sanus, & fortis viribus quàm dives imbecillis, & melior sit mors quàm vita amara.* *Eccles. c. 30.* Porrò si tanta sunt sanitatis commoda, operæ pretium est accuratè novisse quænam sint ipsius effectrices causæ. Hæ sunt; Non solùm conveniens corporis conformatio, partium sanguinis exquisita crasis & symmetria, sed insuper moderata spirituum influentia & tranquillus sanguinis circuitus. Si namque spiritus sint concitati vel languentes; si nimis rapidus lentusve sit sanguinis circuitus, indè sanitati detrimentum importari manifestum est; at nequit esse moderata spirituum influentia, nec tranquillus sanguinis circuitus si agitetur Anima vel in languorem decidat. Ab ipsâ quippè agitatâ spiritus & sanguis nimios concipiunt motus; à languente verò

& demissâ, quodam modo obtorpescunt. Inter utrumque extremum status est medius sanitati apprimè conveniens, quem Anima à solâ inter omnes Passiones moderatâ Lætitiâ mutuatur.

II.

PASSIONES sunt Animæ Affectus ab objectis externis sensuum ministerio geniti, cum perverso in omnibus, exceptâ moderatâ Lætitiâ, Spirituum & Sanguinis motu. Ad animam igitur solam pertinent cùm eam ab omnibus affici indubitanter constet. Nec est quod ad excitandas passiones *appetitum irascibilem & concupiscibilem* ab Anima distinctos quidam somnient. Uterque quemadmodum intellectus, imaginatio, memoria, voluntas nihil sunt aliud quam Anima ipsa quæ licet simplex diversis pro functionum varietate distinguitur nominibus. Cæterum omnis passionis objectum est bonum, scilicet quod Naturæ est conveniens & amicum; vel malum sive quod inimicum atque molestum. Idque passioni cuilibet ita essentiale est ut quicumque motus Animæ bonum vel malum pro objecto non habuerit, ei passionis nomen nequaquam debeat tribui. Utrumque vel solidum & verum, vel falsum & apparens, dum Anima errore sensuum aut vulgari opinione delusa, pro bono quod malum & pro malo quod bonum accipit & ab utroque non minus afficitur, quam si ipsa adesset veritas. Bonum generatim amorem accendit; si sit præsens & ipso fruamur Lætitiam gignit, & aliquando Zelotypiam. Absens verò si nobis conveniat desiderium excitat & cupiditatem; quod si non admodum difficulter possit acquiri spem suscitat; si verò nimis arduum vires nostras superet desperationem affert. At si bonum quod concupiscimus in aliorum potestate esse videamus, continuò nos corripit invidia. Malum generaliter producit odium; si præsens & ipso reipsâ afficiamur tristitiam gignit, & cùm solitum sit iis succensere à quibus accepta fuit injuria & de iis pœnas velle repetere indè sumunt originem Ira & Vindicta. Si malum est absens & vitari possit singulis à naturâ ingenitum est ut per fugam quamprimum vitetur; si visum fuerit inevitabile tunc nullius animi viros metus invadit; fortibus, ad propulsandum malum vires audacia suppeditat. Atque hæ sunt Animæ Passiones in quibus omnibus si Lætitiam moderatam exceperis, aut ipsam agitari, aut languere probabitur, ab iis initium faciendo quæ circà bonum versantur.

III.

AMOR triplex vel dignitatum honorum gloriæ, & dicitur Ambitio; vel divitiarum, & est Avaritia, vel pulchritudinis & formæ. Ambitio nobilis equidem, sed ferè nunquam innoxia Passio, dum honores, dignitates, famam prosequitur, ut sublimi feriat sidera vertice, ut victrix possit virûm volitare per ora, nihil non tentat, nihil intactum relinquit, sacra jura audet resolvere, nullis tenetur legibus, nec amicorum, nec parentum parcit sanguini; objectas difficultates per fas & nefas superare nititur. Sed cum majora viribus audet, propitiamque non habet fortunam, optato privatur fine, & exinde acerbissimus dolor exoritur, eum verò si consequatur quantis curis & conatibus partus est, tantis pariter & curis & conatibus est conservandus. Ast inter tot sollicitudines, curas, anxietates, læsæ etiam conscientiæ stimulos pacem Animi reperiri posse quis asserere audeat: nec major est in Avaro Animæ tranquillitas; is enim quem tenet divitiarum cupiditas, eas plus quàm parentes, amicos, quàm seipsum diligit; non solùm enim de iis nullam suis partem facit, sed etiam miser iis abstinet, æ timet uti, parcè ac duriter se habet, sibi negat non solùm vitæ jucunditates, & commoda, sed etiam necessitates, *animam suam fraudat bono*, & inter magnas opes est inops. Ast quas mente cæcâ miserum torquens spiritum per sordidam parcimoniam, perjurium, mendacium, fœnus, conquisivit opes, dum vult intactas servare, quanta ibi sollicitudo! Quanta anxietas! vigilat metu exanimus, timet fures, incendia, servos, ne se compilent. Quòd si in pecuniâ quædam jactura facta fuerit, ipsam veris plorat lachrymis; an tot inter curas Avarus animam suam in pace possidebit? Amator dum fœminæ captus est amore, hanc dies noctesque desiderat, hanc somniat, de illâ cogitat, cum illâ totus est; ut amari possit, obsequia, sumptus, munera, assiduitatem, perseverantiam, blanditias, assentationes adhibet, & nihilo seciùs tristes iras & superba fastidia aliquandò experitur. Tandem si habet quod totâ mente petiit, nempè ut ametur, haud credas res ejus in tranquillo esse positas. Nonne etenim potest Amori suo calamitas & ægritudo aliqua intervenire? Nonne in Amore sunt injuriæ, suspiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rursùm? Nonne timenda est Amasiæ inconstantia & levitas? Nonne molesta rivalium præsentia acrem Zelotypiam movet? Verùm si conatus ejus omnes fuerint irriti, si pro Amore odium ferat, in furias iramque ruit, adeò ut Amore in odium verso, extiterint Amatores qui fœminas à quibus repulsam tu-

Eccles. c. 4.

lerant, interficere non dubitàrunt. Quidam etiam ſibi præ animi impotentiâ damnatas manus attulerint; quis à tam indomitâ effræni tamque furiosâ paſſione ſuprà modum animam agitari negaverit? Deſiderium eſt Animæ affectus, quo bonum abſens ſibique conveniens concupiſcit: non tot fluctibus agitatur mare quot Anima deſideriis: varia ſunt incerta, infinita, inconſtantia; his ut fiat ſatis terrâ marique ſuſcipiuntur peregrinationes, bella geruntur, patrantur facinora, mille adeuntur pericula, mille exorbentur difficultates; nec equidem ſine ſollicitâ mentis agitatione: hæc deſideria ſpes alit, fovet, ſtimulat, ſed ipſamet nec agitatione, nec anxietate vacat. Qui ſperant, moram impatienter ferunt; ſunt inquieti, timentque, ne antequàm optatum finem aſſecuti ſint, aliquid interveniat quod ejus obſtet poſſeſſioni; competitores ſunt ſubmovendi; amicorum aucupanda gratia; cavendum ne quid plus minuſve fiat quam neceſſe ſit. Quòd ſi tot occurrant tantæque difficultates, ut ſperantium vires & conatus exuperent, ſubſequitur deſperatio, adeò nonnunquam violenta, ut alii in graves inciderint morbos, alii in deſipientiam, quidam ſibi mortem conſciverint. Invidia turpis & pudenda paſſio à nemine unquam confeſſa, ſemper odio ſtipata ſomnos adimit, & eſt veluti ignis ſuppoſitus cineri doloſo quo Anima uritur; alterius macreſcit rebus opimis, in aliis nec virtutem, nec ullas dotes, nec ulla merita agnoſcit. Omnia præmia, beneficia, dona ſibi ſoli deberi putat, meliora carpit, alienæ famæ ruinis ſuam ſuperſtruit. In maledicta ubertim effunditur. Alios mordet & cruento dente rodit; ſed dum aliis nocet, ipſa ſibi eſt ſæviſſimum tormentum. Zelotypia eſt affectus animæ ab invidiâ in eo diſcrepans, quod propter noſtra bona Zelotypi fiamus, propter aliena invidi. Illius objectum bonum eſt quod reverà poſſidetur, dum nempè poſſeſſor timet ne ſibi rapiatur aut in ejus partem aliquis veniat; ſic Reges propter gloriam, Magiſtratus propter autoritatem, Vir propter uxorem, Amator propter Amaſiam, Avarus propter divitias Zelotypiam concipiunt; terribilis ſanè & tyrannica paſſio quæ tam impatienter, tam inordinatè, tamque potenter animam exagitat, ut ſæviſſimus atrociſſimuſque ipſius morbus haberi poſſit.

IV.

NUNC de Paſſionibus malum ſpectantibus ac primum de Odio. Odiſſe conſuevimus eos quos noſtræ famæ, noſtris bonis, fortunis, voluptatibus contrarios experimur, eos denique omnes à quibus injuria accepta fuit. Ab odio animam vehementiſſimè agitari neceſſe eſt, cum pro individuis comitibus iram vindictamque habeat, earumque impetus induat quos eſſe violentos admodùm mox patebit. Hujus effectus ſoliti, ſunt veneficia, cædes, parricidia & omne facinorum genus. Triſtitia à malo præſente oriunda corpus & animam ſimul affligit, *ſicut tinea veſtimento, ſicut vermis ligno, ita triſtitia nocet cordi.* Quippè cor oppreſſum & veluti cingulo conſtrictum, pulſum edit parvum & debilem, calorem languidum quoquo verſus ſpargit undè friget totus corporis habitus, pallet facies, membra torpent & collabaſcunt, *quin & ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.* Hanc paſſionem lentum dixeris venenum, à quo ſenſim extinguitur appetentia, functiones omnes paulatim corruunt donec omninò ceſſantes interitum afferant. Hæc animam deprimit, prægravat, atque affigit humi divinæ particulam auræ. Homines efficit ſegnes, ſtupidos, in rebus ſuis indiligentes, ab omni voluptate & ſocietate humanâ alienos, receſſus & ſolitudinis Amantes. Iratus ignem & furorem habet in oculis, in ore verba minantia, in facie ferocitatem maximam; iræ furentis impetum non ſuſtinens omnes ruit, rapit, tundit, proſternit nihil reſpiciens, dum dolorem & illatam injuriam vindicet, diceres inſani Leonis vim Stomacho illius appoſitam. Si quis in tantâ agitatione dictis mollibus blandâ monitione iram pacare tentet nihilo plus agat quàm ſi contra torrentem brachia dirigat, iratus vocem amici non agnoſcit, nullas voces audit intractabilis, in ipſo hominem non quæras amplius, immanis bellua factus eſt cædis & Sanguinis avidiſſima. Vindicta magnis & Cœleſtibus animis ad ignoſcendum quàm ad puniendum propentioribus parum nota, demiſſis & abjectis familiaris animam ſtimulis agitat amaris, ſomnos abrumpit, tantæque eſt vehementiæ ut qui eo affectu flagrant, nihil inauſum, nihil intactum relinquant; venena, cædes, incendia, proditionem & malas nocendi artes adhibent ut acceptam injuriam ulſiſcantur. Ejus vehementiæ calcar adhuc admovet ira fidelis vindictæ aſſecla. Fuga eſt animæ affectus haud perturbationis expers. Hæc enim primum rationes ad fugiendum devitandumque malum neceſſarias ſollicitè quærit, his autem repertis dubia incertaque fluctuat, neſcia quibus potiſſimùm conveniat uti, timens ne in eligendo peccet pejuſque amplectatur. Metus eſt paſſio corpori & animæ pariter noxia, coercitis enim intùs Spiritibus & Sanguine ad præcordia refluo, pallet facies, vox faucibus hæret, oculi caligant, aures nihil audiunt, torpeſcunt artus, tremore concutiuntur, ſudore frigido madent, tota denique naturalis œconomia ſubvertitur; quin & ipſa anima tam demiſſa, tam languens, tam con-

Prover. c. 25.

Prover. c. 17.

ſternata jacet, ut erigi nequeat, & virile quidquam aggredi. Metui opponitur audacia in quâ imminens ſibi malum ſimulque inevitabile intuens Anima, & nullum eſſe fugæ locum, erigitur, accenditur, vires colligit, & ad ſuperandum iſtud malum maximos conatus præparat; nec quidem ſine ſummâ illius agitatione, quam etiam corpus participat, in audaciâ quippè oculi inflammati, elata ſupercilia, vultus ferox, truculentus & rubore exardeſcens, vox magna, vehemens pulſus.

V.

LÆTITIA eſt Paſſio quâ ſupra bonum præſens & ſibi complacitum veluti diffunditur Anima ut ipſo cumulatiùs potiatur. Omni ætati temperamento, Sexui conditioni, Nationi convenit, quippè homini gratiſſima; conſervandæ Sanitati avertendiſque Morbis aptiſſima; functionibus Animæ & Coporis perfectè obeundis accommodatiſſima. Anima in moderato gaudio tranquilla, omni perturbatione vacua, ſui domina & veluti ſe liberè expandens functionibus ſuis expeditè hilariterque fungitur; Spiritus alacres moderato influxu quoquo verſùm diffuſi ſenſus omnes reddunt perſpicaciores & ſingulis partibus ad privata vel publica munia robur conciliant. Sanguis purus & defœcatus libero & facili circuitu obambulans omnibus corporis partibus commeatus neceſſarios abundè ſuppeditat, calorem & vitalitatem affatim ſpargit. Viget appetentia, Somnus dulcis eſt & quietus. Aſt dum intus ope Lætitiæ omnia benè ac ſalubriter ſe habent, foris quoque ſua bona promit iſthæc benefica paſſio *Gaudium exhilarat faciem*; in ipſo facies nunquam contracta, oculi clariores ſtellis extra Lunam fulgentibus, vultus ſerenus vivido flore renidens dulcique riſu amabilis. At Riſus cum ſoli omnes inter paſſiones Lætitiæ ſit peculiaris, ſolius quoque inter cuncta animantia hominis ſit proprium; nonne patet ad ipſum hanc paſſionem verè ac propriè pertinere, eſſeque in ipſâ quàm in aliis magis, ut ita dicam hominem. Cæterùm Lætitia non ſolùm poſſeſſoris ſui ſed etiam aliorum ſanitati commoda. Hilaris quippè homo ſermone invitabili & jucundo jocis innocuis, dicteriis neminis os lædentibus ſuavibus argutiis conſeſſus & convivia exhilarat; gaudiumque ſuum cum ſociis communicando videtur ad illorum ſanitatem poſſe non parum conducere. Hunc omnes idcircò cupidè exoptant, blandè excipiunt, libenter frequentant; triſtem verò fugitant tanquam moleſtum, tœdioſum & contagioſum hominem. Porrò tanta erat apud Græcos Gaudii commendatio ut ſe ſalutantes invicem verbo Χαίρειν Gaudium & Salutem ſibi mutuò optarent, idemque verbum ſolerent ſuarum epiſtolarum fronti inſcribere: denique ſi quantum valeat Lætitia ſacris teſtimoniis evincere neceſſe ſit, è pluribus quædam duntaxat audi. *Jucunditas cordis hæc eſt vita hominis. Non eſt oblectamentum ſupra gaudium. Animus gaudens ætatem floridam facit. Laudavi Lætitiam quod non eſſet bonum homini ſub Sole niſi quod comederet & biberet atque gauderet, & hoc ſolùm auferret de Labore ſuo.* Tandem cùm allatæ Rationes notum perſpectumque faciant quantum à moderatâ Lætitiâ commodi, quantum ab aliis paſſionibus detrimenti capiat Sanitas nonne licebit concludere.

Prover. c. 15.

Eccleſ. c. 30.

Ibidem.

Prover. c. 17.

Lib. Sapientiæ. c. VIII.

Ergo omnes Animi Paſſiones, exceptâ moderatâ Lætitiâ, Sanitati nocent.

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA CHOMEL DE JOINVILLE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1731, à ſextâ ad meridiem.